



*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]*



Ad lætitiã Paschalem  
**ORATIONE PUBLICA**  
IN TEMPLO PAULINO  
celebrandam,

*Dum*


Magnificum Rectorem suum  
immaturo defunctum fato  
acerbo luctu

*Mæsta Philurea*  
*plorat,*

Utriusque Reipubl. Proceres,  
ac Cives Academicos  
*invitat*

**UNIVERSITATIS LIPSIENSIS**  
**PRO-RECTOR.**





בער :



Vantò Resurrectionis mysterium hu-  
manæ mentis capacitatem altius transcendit ;  
tantò firmiori fide nobis Christianis tenendum  
est, quod verum in omnibus adversitatibus so-  
latium præbet, quo etiã æternæ beatitudinis spes  
unicè fulcitur. Rideat Philosophiæ ejusdem cor-  
poris antea putrefacti, & in cinerem ac favillas resoluti productio-  
nem; rideant Sadducæi, Simoniani, Basilidiani, Ophitæ, Marcionitæ,  
& omnis hæreticorum turba, rem naturæ ac rationis principiis  
contrariam; Nos impensius gaudeamus, secura sit caro nostra, sere-  
nus animus, quoniam post hanc mortem venturum esse diem sci-  
mus, qui nos in vitam reponet omnes. Instans paschalis gaudii  
festum de vero nostræ resurrectionis fundamento certiores facit,  
dum Caput ac Salvatorem nostrum, eversâ mortis potestate, glo-  
riosissimè è sepulchro prodisse annunciat. Ita scilicet fieri oportebat,  
ut, qui pro nobis mortuus, ac in cruce passus, peccata nostra de-  
leverat, pro nobis itidem, (quod est in nostrum commodum,) æter-  
num cum ipso victuris, in vitam revocaretur; cujus utriusq; sum-  
mam brevi quidem, sed gravi ac ponderosâ sententiâ Apostolus Pe-  
trus 1. ep. III 18. delineavit: *Θάνατος θεός, inqviens, μὲν σαρκί, ζωο-  
ποίησις θεός δὲ πνεύματι, i. e. mortificatus quidem carne, vivificatus  
autem spiritu.* Fecit e quidem in his verbis ex casu primo quartum  
Versio vulgata cum aliis quibusdam codicibus latinis, retulitq; ea  
non ad Christum, sed ad proximè præcedens pronomen *ἡμᾶς*; quo-  
niam verò huic expositioni Græcorum Exemplarium lectio ge-  
nuina reclamât, circa eam prolixius non occupabimur. Observa-  
mus autem quatuor omninò circumstantias Resurrectionis Messi-  
anæ in illo Apostoli loco nobis exhiberi, quas singulatim accurati-  
us evolvere juvabit. Pri-

Primò quidem Resurrectionis subjectum CARNIS voce exprimitur, quæ tamen non *exclusivè* accipienda est, quasi totam Θεω-  
 θεώτα personam è duabus naturis, divinâ & humanâ, constantem  
 resurrexisse neget; sed *specificativè*, prout illam nobis naturam de-  
 clarat, juxta quam Christus, exacto à sepulturâ triduo, in vitam re-  
 vocatus dicitur. Quemadmodum enim secundum carnem in cruce  
 factus est mortis victima; ita secundum eandem de morte iterum di-  
 vinâ virtute resuscitatus fuit; siquidem firmâ ac validâ ratione con-  
 cludimus, id, cujus respectu mortificatum Christum Apostolus præ-  
 dicat, πρώτον δεκτικὸν τῆς ἀναστάσεως seu primum ac proprium esse  
 resurrectionis subjectum, cum nihil resurgere, quin antea mortuum  
 fuerit, intelligatur, & resurrectio nihil aliud sit, quam ejus, quod ce-  
 ciderat, resurrectio, dicente Theophylacto. in c. 12. Marc. fol. 70. Licet  
 autem aliàs quoque sacris literis hoc sit solenne, ut nomine τῆς σαρκός,  
 totam naturam humanam in Christo, ad quam non sola caro stri-  
 ctè sic dicta, sed & anima, illius forma, pertinet, exprimant, conf.  
 Joh. I, 14; tamen hinc cuiquam absurdum videri posset, carnem ita  
 explicare, ut ipsi etiâ animæ convenire intelligatur, cum non appa-  
 reat, quomodo substantia spiritualis morti subjacere possit. Sed fa-  
 cilè admodum hic scrupulus eximitur. Quoniam n. mors, quæ pro-  
 priè talis est, nihil aliud, quam unionem, quâ materia & forma in ho-  
 mine connectuntur, destruit; hinc fit, ut, si velimus ἀκροβολογεῖν,  
 neque corpus neque animam *separatim*, sed *conjunctim* totum compo-  
 situm mortuum dicamus. Atque ita etiam toti naturæ in Christo hu-  
 manæ mors accuratius, quam soli corpori tribuitur. Nam corporis  
 mors, si rem attentè consideremus, corruptio est, & putrefactio, quâ  
 Christus in sepulchro non vidit, Ps. XVI. 10. Vulgatâ tamen loquen-  
 di formulâ, quæ corpus mortuum dicit, quod vitâ privatum est, non  
 omninò improbamus, cum etiam sancti Patres & inter hos Augusti-  
 nus (loco mox citando,) carnem, sive corpus Christi mortificatum  
 appellaverint. Contrâ verò crassissimè illi errant, quibus im-  
 mortalis spiritus & moritur, & resurgit. Hinc meritò reji-  
 citur cum Gretsero, & aliis, Bellarminus (Tom. I. oper. de Chri-  
 sti anima c. 13. p. 177. a.) dum per τὸ πνεῦμα Christi animam intelli-  
 git, eamque vivificatam spiritibus in purgatorio detentis liberatio-  
 nem vult annunciâsse. Age, opponamus huic interpreti Augustinum,

qvi Ep. XCIX. (Tom. II. oper. p. 444.) quâ Evodio, de genuinâ hujus loci expositione quærenti, respondet, *Quid est, inquit, quod vivificatus est spiritu, nisi quod eadem caro, quâ solâ fuerat mortificatus, vivificante spiritu resurrexit? Nam quod fuerat animâ mortificatus Jesus, h. e. eo spiritu, qui hominis est, quis audeat dicere: cum mors anima non sit, nisi peccatum, à quo ille omninò immunis fuit, cum pro nobis carne mortificaretur. Et paucis interjectis: certè anima Christi non solum immortalis secundum ceterarum naturam, sed etiam nullo mortificata peccato, vel damnatione punita est, quibus duabus causis mors anima intelligi potest, & ideò non secundum ipsam dici potuit Christus vivificatus spiritu. In eâ re quippè vivificatus est, in quâ fuerat mortuus, &c.* Hanc nucem frangendam Bellarmino relinquamus, quæ stuporem procul dubio dentibus Ipsi si fortè acuti visi fuerint, inducet. Telis autem, quibus in hâc pugna utitur, excutiendis, parva nobis vis suffecerit. Quod enim *vivificandi* vocabulum in scripturis sæpenumerò idem esse ait, quod *in vitâ relinqui*, (v. g. 1. Sam. XXVII. 9. 2. Sam. VIII. 2. Act. VII. 19.) facile concedi potest, modò observetur, tale semper subjectum huic prædicato requiri, quod mortis potestati subiaceat, ut adeò vivificari dicamus, quæ, cum possint, non occiduntur. Accedit huic argumento enervando, phrasium in allegatis è sacro fonte textibus diversitas ab eâ, quam Apostolus usurpat, de quo conf. Chamier. *Panst. Cathol. tom. II. l. 5. c. 7. n. 20 & 21* Est autè illud quoque ficulneum, ac vix ullo fortasse scripturæ loco comprobandum, quod idem Bellarminus asserit, videri, τὸ πνεῦμα carni oppositum, non aliud posse significare, quàm animam, alteram hominis partem essentialem. *Videri ais?* apage verò cum istâ tuâ improbabili probabilitate, cui sacer textus toties reclamatur, qui, ut ad oculum consideranti patet, per τὴν σάρκα plerumque φύσιν ἀνθρώπινην, per τὸ πνεῦμα δύναμιν τῆς θεότητος, ut Oecumenius explicat, intelligit. Fidei proindè analogiæ consentaneum est, ut eandem & huic loco expositionem applicem, atque ἀντιθέσεως ἀνομαλίαν cū B. Gerbarde (in h. l.) hinc agnoscentes, *spiritus* vocem, non ad resurrectionis *subjectum*, sed, quæ altera est circumstantia, ad *principiū* ejusdè referam. Hinc vero nova se sententiarum divortia pandunt. Eorum enim qui nobiscum per τὸ πνεῦμα δύναμιν τῆς θεότητος innui fa-

ten-

tentur, alii DEUM Patrem, alii Spiritum Sanctum, tertiam SS. Deitatis personam, efficientem Resurrectionis CHRISTI causam, faciunt. Priorem opinionem *Photiniani* recipiunt, qui ex eo, quod Christum à Patre resuscitatum passim in sacris literis legamus, solius primæ personæ hoc opus proprium esse concludunt, illique doctrinæ convenienter vocabulum *πνεύματι* interpretantur. Ad Spiritum S. autem *Calvinianorum* nonnulli respiciunt, inter quos *Beza*, qui in eam rem *Athanasii* testimonium citat, & ex his Petri verbis divinitatem Spiritus S. colligere satagit. Utriusque sententiæ patronis in hoc convenit, quod à genuino quidem verborum sensu abluant, sed ita, ut falsum propterea non dixerint. Fatemur enim, & DEUM patrem, (modò non solùm, quod in *Photinianorum* opinione hæreticum, alibi autem à Viris orthodoxis omnimodè confutatum est,) & Spiritum S. unà cum Christo resurrectionis opus perfecisse, siquidem eandem virtutem, potestatem ac operationem Patris, & Filii & Spiritus S. esse novimus, quo cum convenit *Thomas part. III. quæst. LIII. art. IV. & Fulgentius l. III. ad Thrasim. c. 33.* operaque ad extra, juxtà communissimam veterum Theologorum regulam indivisa sunt h. e. omnibus SS. Trinitatis personis communia. In nostro tamen textu *Spiritus* nomen non indeterminate, pro virtute divinâ, quâ tres unum sunt, sed determinate pro eâ in Christo naturâ, secundum quam à Patre suo ab æterno genitus dicitur, accipi omninò vero simillimum est. Nam sicuti per carnem propriam Christi humanitatem Apostolus intelligit, ita per spiritum propria Christi divinitas convenienter admodum explicatur. Sed num propterea à resurrectionis opere humanitatem cum *Calvinianorum* grege prorsus excludemus? Neutiquam verò. Quod enim suprâ diximus, vocabulo Carnis in nostro textu totam Christi personam resurrexisse non negari, idem & hîc repetendum est, dum spiritu, i. e. virtute naturæ suæ divinæ resuscitatum esse Christum scribit Apostolus. Arctissimum illud vinculum, quo divina Filii DEI natura humanæ jungitur, perfectam omnium attributorum, adeoque virtutis etiam vivificæ communicationem infert. Cui autem realis *δυνάμειως ζωοποιτικῆς* participatio conceditur, eidem illius exercitium sine contradictione denegari non potest, ut rectissimè infert



Calovius noster Tom. 7. System. Theol. art. VII. c. II. quæst. I. p. 700.  
Quemadmodum igitur ex hoc fundamento universalem omnium  
hominum resurrectionem Christo, etiam ut Filio hominis S. literæ  
haud infrequenter tribuunt, Joh. V. 21. 25. 27. &c. Act. II. 24. ita sui  
quoque corporis templum antea à se dissolutum idem Christus  
construxit ac reparavit, mortisque laqueis sese exolvens, quod gau-  
deamus, resurrexit. Atque hujus resurrectionis Christi modum  
Apostolus verbo ζωοποιήσεως in textu nostro expressit.

Hoc equidem ad beatitudinem animæ Christi à corpore se-  
paratæ, ejusque contra dæmones triumphum *Cajetanus* retulit, et  
partim tamen inde confutandus, quod mors secundum carnem, &  
vivificatio per spiritum h. l. sibi opponantur, partim etiã ex iis, quæ  
suprà adversus *Bellarmini* sententiam protulimus, quæque *Isidori  
Clarii* expositionem de spiritu seu divinitate semper vivente itidẽ  
refellunt. Rejctis ergò his sententiis unã cum illã interpretatione,  
quæ Christum spiritu vivificatum dici statuit, quod in credentium  
animis vivat, eorumque spiritibus veram vitam impertiatur, per vi-  
vificari resurrectionem ex mortuis cum *Aug. Epist. suprà à nobis al-  
legata, & Oecumenio ap. Chamierum* intelligimus. Nec multum  
ab hoc sensu *Cornelius à Lap.* (in h. l.) recedit, modò habito ad  
principalem prius, quàm instrumentalem resurrectionis Christi  
causam respectu, per spiritum non animam, sed divinam Christi na-  
turam accepisset. Convenit autem, quod adhuc notatu dignum  
videtur, cum *Bellarmino* ejusque sociis in eo, quod spiritum pro  
animã sumserit, differentia tamen inter ipsos cernitur in exponen-  
do per particulas Dativo πνεύματι, quem hoc loco cum verbo ζω-  
οποιήσεως constructum invenimus. *Bellarmino* enim ponitur pro  
καὶ πνεῦμα, sicut antecedens σαρκὶ pro καὶ σάρκα, *Cornelius* au-  
tem nobiscum in hoc textu constructionis quandam anomaliam,  
sed alias non infrequentem, agnoscit, ita ut πνεύματι sit pro καὶ  
πνεύματι, licet interim σαρκὶ pro καὶ σάρκα stare fateatur.  
Cæterum quã ratione per clausa sepulcri repagula gloriosum  
Christi corpus prodierit, omnis humanæ rationis aciem obtundit.  
Ac licet de corporum beatorum subtilitate, penetrabilitate, ange-  
licisque qualitatibus multa passim afferantur, altiori tamen cogi-  
tatione hujus rei profunditati immersum, omnes quasi sensus de-  
sti-



stituunt. Quâpropter piâ S. *Augustini* *serm.* 159. de temp. p. 952. Tom. X. oper. voce exclamare nos decet: *Recedant paulisper modus & pondus, ille hæc fecit, cui nihil impossibile. Quando audis miraculum serva fidem, non inquirat animus rationem.* De quo ipso etiam admonitus aliquando, divinitus facto miraculo, quidam *Leodienſis Monasterii frater* legitur, cujus animum sæpiſſimè illius admiratio, quomodo Christus clauſo monumento surrexerit? subibat. Quodam enim tempore cum Antiphonam: *Mulieres sedebant ad monumentum,* Abbas caneret, factum est, ut istius fratris cingulum repente ante pedes pro volveretur. Ille solutum ratus, ut rursum stringeretur, sustulit, mox autem magno stupore compluribus nodis celantibus nexus implicatum animadvertens, vocem sibi leniter infusurrantem audire visus est: *Sic potuit clauſo Christus prodire sepulchro.* Quo revocatâ in mentem dubitatione suâ, rimari ulterius destitit, piè mirari ac simplici fide credere incepit. Sit penes Lectorem fides fabulæ dicam, an historiæ? quam ex *Abbate Tuitiensi Beyerling. in Theatr. vit. bum. sub lit. C. p. 193.* recenset. Nobis ea exemplū nimix curiositatis abjiciendæ præbeat, ut vanum illa in Resurrectione Dominicâ pervidendi conatum omittamus, ad quæ oculus humanus penitus cœcutit, tantoque diligentius utilitatum, quæ inde ad nos multipliciter manant, gratâ mente recordemur.

Exponit quâdantenus eas Apostolus in illis, quæ proximè textum nostrum antecedunt, verbis, dum ait: *ἵνα ἡμᾶς πρὸς θάνατον τῷ Θεῷ.* Hæc enim quamvis immediatè cum passione ac morte Justipro injustis connectantur, non minus tamen ad ipsam quoque resurrectionem pertinent, quippè quæ ultimam veluti manum redemptionis operi imposuit. Obtulit ergò nos DEO Patri per resurrectionem suam, ipsique reconciliatis liberum nunc aditum præparavit. Viam per mortis tenebras ad æternæ beatitudinis lucem ovibus dispersis ac errantibus ostendit, suâque resurrectione & nos olim resurrecturos declaravit. *Resurrexit* (cum *August.* loquimur *serm.* 162. de tempore tom. X. p. 956.) *Christus, ut resurrecturum se non dubitaret Christianus Quod enim præcessit in capite, sequetur in corpore.* Atque ita Jobus quoque resurrectionis suæ à Redemptoris vitâ

ידעתו נאלי חי ואחריו :  
על עפר יקום : ואחר עורי נקפו זאת ומבשרי אחזה אלורדי :  
vitâ firmum argumentum petiit, dum ait :  
Hoc sanè pharmaco contrâ mortis acerbitatem feliciter utemur,  
non tantùm ubi nos ipsi ex hâc rerum terrestrium colluvione evo-  
cabimur, verùm etiam si quando, quos in charis habuimus, ex sta-  
tione, supremi Imperatoris nutu, discedere contigerit. Jamque  
non sine acerbissimo animi dolore istius casus reminiscimur, qui  
Universitatis nostræ Caput his diebus abstulit. Alterum hoc est  
Rectoris funus, quod indè à primâ fundatione suâ mœsta Philurea  
videt. Mors certè, si nostram sortem respiciamus, luctu & lacry-  
mis, sed si beatè mortuum intueamur, gratulationibus prosequen-  
da. Quoniam enim cum Christo mortuus est, cum ipso etiam  
vivet ( 2. Tim. II. II. ) promissamque credentibus hæreditatem pos-  
sicens, verum Pascha in beato æternitatis templo celebrabit. His  
gaudiis ac felicitatibus ut & nos olim perfruamur, in hoc mundano  
ante cœlica palatia vestibulo, assiduâ illius Resurrectionis, quæ no-  
stræ certissimum pignus est, meditatione nos præparemus. Quo  
quidem nomine ad promovendam pietatem nostram Pereximius  
atque Præstantissimus DN. M. JOHANNES BROCKMAYER, Torgaviens.  
SS. Theol. Stud. industrius, in templo Academico, crastinâ die  
contra Judæos Resurrectionis Dominicæ veritatem adstruere pro-  
viribus allaborabit. Quâpropter eos omnes, qui meritum ac Re-  
surrectionem Salvatoris nostri devotâ mente suspiciunt, nec priva-  
to tantùm fervore, sed publicis etiam precibus ac gaudiis prose-  
quuntur, decenter invitamus, eâ, quâ par est, humanitate cum cer-  
tissimâ officiorum nostrorum pollicitatione rogantes, ne actum,  
hunc nostrum suâ honorificâ præsentia condecorare, ac Christia-  
nam Resurgenti mortis ac Inferni Triumphatori gratitudi-  
nem nobiscum declarare dedignentur. PP. Lipsiæ  
20. Cal. Maji, 1679.

M.  
LITERIS COLERIANIS.


✓  
00 A 6436

ULB Halle 3  
004 931 300  


KD 18







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

schalem  
**PUBLICA**  
**PAULINO**  
 m,  
 corem suum  
 tum fato  
 tu  
*lurea,*  
 ol. Proceres,  
 emicos  
**LIPSIENSIS**  
**ETOR.**

13

